

DISSERTATIO THEOLOGICA,
De

NATURA
ET
CAUSIS JUSTI-
FICATIONIS,

Quam,
EX A. R. FAC. THEOL. consensu ac ad-
probatione, in inlustri ad AURAM
Academia,

PRÆSIDE

UIRO Summè Reverendo Excellentissimoq;
DN. PETRO LAURBECCHIO,
S. S. Theolog. D. ac Professore
Primario,

*Eruditorum disquisitioni publica
subjicit*

PETRUS EURENIUS,
Eloqv. Lector in Gymnas; Her-
nosandensi.

In Audit. Max. ad diem 18 Julii, 1695.

Impr. apud JOH. L. WALLIUM.

Lactant. de Fals: Religione
CAP. I.

**Nec tam de rebus humanis bene
meretur, qui scientiam bene
dicendi adfert; quàm qui piè
& innocenter docet vivere.**



יאר יחזה פניו אלך ויחנך:

1.



Ta plurimorum doctrinae Christianae capitum natura ac ratio comparata est, ut res in iis probe & cum

successu tradi explicarique nequeant, nisi solidior ex præceptionibus veræ Grammatices vocabulorum instituta fuerit interpretatio. Hoc si usquam, in Articulo certè *Justificationis*, quam *clavem auream*, quâ porta caeli referatur, non sine causâ adpellavit pia antiquitas, locum obtinuit; namque heic pro errorum in verbis incremento, ipsa tanti negotii fides & certitudo decrescit atque imminuitur. Porrò animo adeo impetuoso genuinum vocis *Justificare*

A

sen-

sensum ac energiam, nec minus ex-
 crabili odio labefactare, imò tollere,
 planè conati sunt, hodieqve conantur
 Papalis (ut jam alios taceam) ordinis
 asseclæ, ut nisi fortissimos subinde exci-
 tasset athletas Summus rerum Arbiter;
 quin etiam necesse erit calidis votis cu-
 pere, continuo dehinc excitet; non am-
 pliùs in bonorum cordibus ulla tantæ
 veritatis regnasset cognitio. Salutare ita-
 que hoc Dn. D. *Chemnitii* L. T. P. II. p. 229.
 monitum perpetuò oculis obversabitur:
*Non possumus custodes esse Doctrinæ hujus
 loci divinitus repurgatæ, nisi Grammaticam
 discamus & amemus.*

II.

Vox *Justificare* nullum in Foro Ro-
 mano usum habet, quippe quam aurea
 illa Ciceronis ætas ignorat, nec seculi
 Augustei Scriptores intra purioris la-
 tinitatis septa, vel auctore *Costero*, ex
 facili admiserint; illam autem tempore
 D. *Augustini* ex scripturæ consuetudine
 adhiberi cœpisse, confirmant studiosis-
 simi

fimi quicq; Patrum Lectores. Sic enim ille de Bono Conjugali c. 14. si quis ex agro injustè invaso largas faciat eleemosynas, non ideo rapinam justificat. Sumlère ergo sacri auctores mutuò *Justificationis* nomen ex Hebræorum Judiciis, qui sententiã Judicis absolutum *Justificari* dicebant. Vid. *Esai. 43, 9. Matth. 12, 37.* Inde ad salutis humanæ Mysterium translata esse hanc phrasin, patet ex *Rom. 8, 33. quis intentabit crimina adversus electos DEI? DEUS is est qui justificat. Quis est qui condemnet?* Ubi Paulus eas usurpavit formulas, ut imaginem repræsentaret humanæ Jurisdictionis, quum sc. Reus, Accusator, Advocatus, Judex conveniunt, & inde litis exitus, *Justificatio* opposita condemnationi.

III.

Quantum ad præsens adinet negotium, de homine peccatore justificando coram DEI tribunali dum agitur, nullã aliã quàm forensi gaudet signifi-

catione, absolutionemque à peccatis notat: eundem sensum fundit Hebr. קצ, cujus in *hiphil* præcipui significatus sunt: *justificavit, justum pronunciavit, justitiam imputavit, accusatum absolvit, justum declaravit*, LXX. vertunt: δικαιῶν, δικαιῶσαι, δικαιῶν κεινεν. Hunc in modum *Victorinus Bythner* in לשון למודים, p.38. *hiphil* significationi Kal ut plurimum addit, *fecit vel declaravit, sicque actio transit ad tria; ut Deut. 8, 3. fecit te comedere Mannam, ubi DEUS cibans, Israël comedens, & Manna, quæ comeditur; consimili ratione voce קצרי* indicari potest DEUS *justificans, Homo qui justificatur, & justitia, quâ in Domino justificamur. Hinc pulcherrima illa D. Jo. Gerhardi observatio, quod Justitia fidei seu Evangelica, respectu nostri, sit in tertiâ Conjugatione i.e. imputativa, respectu V. Mediatoris, est in primâ Conjugatione i.e. positiva. L. T. T. III. p.272.*

IV.

Progredimur jam recto ordine ad *Synonymiam* ac *phrasium æquipollentium* enu-

enumerationem; verum quum ejusmodi ex collectaneis *Systematicorum* peti possunt, eò tantæ rei cupidos libenter dimittimus. Finxit quidem *Pistorius* differentiam inter *justificationem* & *salvationem* talem, ut alias hujus, alias illius constituat causas: sed commentum istud strenuè refutarunt, Doct. *Menzer*. *Dispp. Theol. IV. p. 202. & seq.* ac *D. Svenonius*, qui heterodoxiam hanc ex libris *Symbolicis* solidè damnat *Synops. Theol. p. 125.* Non diffitemur, quod ἐν παρίδοις dictum velimus, à *Petri & Johannis* scriptis abesse vocabulum hoc *justificationis*, quippe qui *Doctrinam* hanc per ἰσοδυναμίαν quædam clariora inculcare malebant, quo ceu sacro parallelismo eloquiis *Paulinis* sua significatio vindicaretur. Ast causam vocis hujus ab *Apostolis* non usurpatæ adducit *judiciosissimus Dn. D. Chemnitius* l. cit p. 235. *fecerunt hoc, inquit, sine dubio non ideo, quod improbarent formam verborum Pauli, sed quia videbant, quosdam non advetos Hebra*

braismis, perturbari vocabulo Justificationis, quosdam callidè illud depravare. Quod ad Paulum pertinet, nè Epicureis cogitationibus humanæ mentes imbuerentur, vel Pharisaicis quibusdam persuasionibus, legem nimirum à se impleri posse, nimium sibi indulgerent mortales, forensi, quamvis notius adhiberi poterat, imprimis delectatus est vocabulo.

V.

Homo Viator, quod ob extremam quâ laborat, naturæ corruptionem, defectumque virium concreatarum, omnem justitiam amiserit, quæ coram DEO ad vitam æternam acceptatur, seipsum suâ virtute justificare nequit, & frustra inenarrabilem hanc bonitatem aliunde expectat, quàm à Domino solo salutis suæ, ceu in quo posita est credentium justitia, qui solus peccata *ἀποκαθαρῶν* remittere, Marc. 2. 7. solus salvare potest, Jacob. 4. 12. iccirco

èò confugiat neceflum efl. Hinc *cau-
fam principalem juflificationis noflræ DEUM,*
five *totam S. S. Trinitatem* (efl enim a-
ctio ad extrà) haud dubiè conftitui-
mus. *Juflificati eflis per Nomen Domini*
JESU & per Spiritum DEI noflri, I. Cor.
6, II. & in *Baptifmo noflro,* Matth. 28, 19.
Cyrill. lib.V. de *Trinitate* Tom. II. p. 341.
Non feorfim quidem DEUS & Pater, feorfim
autem & propriè Filius; fed quæ eflè intelli-
gitur juflificatio à Patre, ea omnino efl &
Filii, & quæ Filius largitur, ea efl & Patris.

VI.

Mera DEI Gratia feu mifericor-
dia, cauffa Juflificationis impulfliva interna
eft. Cui pronunciato ut fua conftet
ratio, diftinctionem nominis explicare non
alienum videtur. Ornavit credentes
Salvator beneficio duplici, reconciliatio-
nis altero, altero renovationis: hujus
refpectu vox gratiæ, modò Gratuitam
DEI Benevolentiam, acceptantem cre-
dentis propter Chriflum ad vitam æ-

ternam, modò Dona, quæ ex immensâ
 hâc benevolentîâ conferuntur, denotat:
 quippe poterit, distinctione istâ indili-
 genter tutatâ, multis ansa dari errori-
 bus; quod non solum Pelagiano certa-
 tamine, verùm quotiens cum Scholasti-
 cis ac Pontificiis res acta est, abunde
 innotuit. Ultrò istud â nobis adseritur,
 & gratiam, & Donum per gratiam, Di-
 vinæ bonitati adscribenda esse, nemi-
 nemque sic in gratiam recipi, ut illi fas
 sit *peccato mortuo, in eo vivere.* vid. Rom. 6, 2.
 inde quoque Phil. Mel. L. de *Justifica-
 tione*, testatur *Gratiam esse remissionem pec-
 catorum seu Misericordiam propter Christum
 promissam, seu acceptationem gratuitam, quam
 necessario comitatur donatio S. Sancti.* In-
 terim tamen adcuratiore opus est cir-
 cumspectione, in dispiciendâ signifi-
 catione Gratix, iis in locis ubi Paulus
 disputat, nos *gratis per gratiam DEI justi-
 ficari*, Rom. 3, 24. *Gratiâ salvati estis*, Eph.
 2, 8. ad liquidum autem controversiam
 perducî posse credimus, I. Ex firmis-
 simo

fimo Apostoli testimonio l. cit. & Rom. II, 6. gratiam operibus opponentis, & quidem operibus ejusmodi, quæ non ex libero arbitrio, sed ex fide proveniunt, Rom. 4, 4. Hebr. II, 8. II. Vocabulis Synonymis: namq; Gratia hæc justifica, in S. Codice indicatur nominibus, *Misericordia, philanthropia, dilectio & charitas DEI*. Vid. Rom. 3, 24. Joh. 3, 16. Eph. 2, 4, 5. Tit. 3, 4, 5, 7. I. Pet. 1, 3. I. Joh. 4, 9. Hebr. 2, 9. Rom. 5, 8. Matth. 18, 17. 33. Hæc adeo sunt manifesta, ait D. Chemnitius, Exam. Decr. Conc. Trid. P. I. p. 138. *quod & Thomas & Richardus de media Villa fatentur, veteres quosdam gratiam exposuisse pro beneplacito & dilectione DEI gratuita, quâ eligis, vocat, justificat, adoptat,* Eph. 1. quamvis alteram illam significationem, intell. dona renovationis per Spiritum Sanctum seu novas qualitates, quasi propter illas *justificemur & salvemur, præferant, amplectantur & probent.* Obiter heic memorandum, Veteres, propter frequentes dis-

putationes, quæ ipsis cum Pelagianis intercedebant, sibi ipsis perturbatiores extitisse; erat enim apud illos vocabuli gratiæ, pro donis per gratiam, usus crebrior: verum enimvero, quando judicalem actum, quo doctrina hæc in scripturis absolvitur, seriâ meditatione perpenderunt, pulcherrimè ac κατ' ἐρτοδοξίαν statuere, quod vel unico *Bernhardi* constat exemplo. III. Ex gratiæ misericordiæque pari effectu. legantur dicta Eph. 1, 5. 2. Tim. 1, 9. Rom. 9, 11. Eph. 1, 4. aliaque plura quæ copiosius recenset *D. Jo. Ern. Gerh. Isag. L. Th. P. 2. p. 807.*

VII.

Misericors illa DEI gratia erga miseram Adæ Posteritatem, quò uberrimo inlustraretur testimonio, visum est Apostolo, expressiori quâdã determinatione adjungere particulam *δωρεαν*, ut sit sententia: nos sine ullo merito nostro, imò contra meritum nostrum, coram DEO justificari, & causam acceptationis gratuitæ

tuitæ non esse in nobis, sed in Solo DEO: non ex vobis, non ex operibus, nè quis gloriatur, Eph. 2, 8. Nè laudatas ostendat avis Junonia pennas. Sed quia supremæ Bonitatis ineffabili *ἐὐδοκίᾳ*, iniquitates nostræ non solum teguntur; Sed & S. S. renovatione in cordibus humanis novi ac DEO placentes excrescunt motus; inde Papistæ & reliqui Operarii habitum quendam infusum, & nescio quas qualitates, negotio justificationis intrudere adgressi. Ita Bellarm. 2 de Justificat c. 3. Favorem DEI, ait, satis explicari per vocem gratis; qui enim gratis justificat, certè ex benevolentia ac liberalitate justificat. Illa igitur additio per gratiam, non ipsum favorem, sed aliquid aliud, i. e. effectum illius favoris significabit, sc. justitiam ab illo donatam, & infusam, quæ est Formalis Causa justificationis. Huc refer illud ex c. 3. ad Rom. Ubi in loc. *Justificamur autem gratis* &c. contendit explicari ferè omnes Justificationis causas. 1. Efficientem, liberalitatem DEI, justificari gratis 2. Forma-

lera

lem, nimirum per gratiam ipsius i.e. ut antè citavimus, per justitiam ab illo donatam & infusam. 3. Meritoriam, per redemptionem ipsius. 4. Dispositivam, per fidem sc. in sanguinem Propitiatoris; Ita ratiocinatur Bellarminus. Ad singula distinctè respondendum. 1. Favorem DEI non satis voce δωρεάν explicari, Vid. Chemn. L. T. P. II. p. 272. & seq. ac Exam. Conc. Trid. p. 138. particul. *Gratis*. neque Doctor Gentium particulam istam propriè causam efficientem veram, sed potius falsam, nempe meritoriam respectu, nostri rejicere voluit, seu quod idem est, id voluit adsertum, esse in DEO obligationem nullam, nec teneri Divinam Majestatem ullo jure, ut homines ex illorum aliquo five credito five merito justificet. Est præterea in scriptura neququam insolens tali sensu vocabulo hoc uti. Leg. Matth. 10, 8. Joh. 15, 25. cum quo convenit Hebraica vox חנם, quam in commentariis Rabbiorum idem ac בלי סבה sine causa significare

ficare docet *Munster*. Dictionar: in rad.
 𐤇𐤍. Nec dissentit planè *Salmer*. aliàs
 acerbissimus Doctrinæ hujus hostis,
 Disp. 27 ad Rom. *Justificari gratis est ju-*
stum fieri à DEO sine ullo debito suo, vel
precio sibi exhibito. Proinde remotâ per
 τὸ δωρεάν causa falsa, rectè in dicto Pau-
 lino additur χάρις, quæ verè maximi
 hujus beneficii causa Efficiens audit. 2.
 Illud de liberalitate utrobique à *Cardi-*
nale reperitum, est ὑπερόν τι; de illâ in
 S. literis altum silentium, extat loco
 illius ἀγάπη, εὐδοκία, ἔλεος &c. etiam
 χάρις; nec immeritò expungitur libera-
 litatis nomen, quippe quod ad expri-
 mendam tanti beneficii magnitudinem
 minoris est efficaciam, ideoque non sa-
 tis accommodatum. Est enim plus vice
 simplici notum, egregiâ Imperantium
 liberalitate cives de Rep. bene meritos
 commodis auctos fuisse amplissimis;
 imò & istud meminisse juvat, pluri-
 mos præmiis, ultrâ quàm oportet, sat
 luculentis decorari: hoc autem an sine
 ullo-

illo planè meriti interventu fiat, perit
rerum judicabunt facilè. Ast voces
quas divina fundunt Oracula, non so-
lùm in largiendo liberalitatem, verùm
causam istius puram, intell. DEI mi-
serentis indignorum voluntatem, pror-
sùs indicant; quod reliquum est infra
persequemur.

VIII.

In Milericordia DEI Justitiâque
illius temperamentum tenere, ardua res
est, & humanæ menti nullâ ratione
pervia; verùm quoniam DEUS creden-
tibus in Christum est justè benignus,
& benignè justus, *Sion quoq; in judicio
redimetur, & captivi ejus in justitiâ*, Esa. 1,
27. immensâ DEI *justificantis* dilectione
facta est translatio legis, νόμος μεταθεσις,
Heb. 7, 12. in Mediatorem, qui vitæ &
mortis obedientiâ, nè ullâ ex parte labe-
factaretur, quæ in lege patefacta est, Di-
vinæ justitiæ norma, pro totius mundi
peccatis condignâ & sufficienti satisfa-
ctio.

Etione, non tantum pœnas, sed & perfectâ vitæ sanctitate, omnium nostrum loco & nomine, impletionem legis præstaret sufficienter. Piè Scherz. Syst. Theol. p. 420. *Caussa illa impulsiva, nempe Patris Gratia, non nisi in sanguine Christi natat, i. e. à Christo parta & in Christo fundata est.* Est sanè iratus Judex DEUS noster cujus amicitiam, si districtè agat, minima solvit caligo, nec inique repetit talentum malitiosè decoctum; placabilis tamen per Filii sui redemptionem, illum, quem jus damnat, ex gratiâ absolvit. *In mysterio redemptionis justitia temperatur Bonitate DEI, ait Hunn. tract. de Justif. Tom. I. Christus igitur, quia à DEO nobis factus est justitia, I. Cor. I. 30. nova planè & malo consilio fabricata est hæc Adversariorum adsertio: nos inberente justitiâ, quæ ex operibus est, in gratiam recipi; quippe quam, nisi reconciliatio præcesserit, nequaquam consequimur. Inde quò res prorsus necessaria artis aliquo vocabulo commodius & distin-*

gvatur & explicetur, *Causam Justificationis nostræ Meritoriam* JESUM Christum in toto officio suo mediatorio constituimus; nempe hujus obedientia res illa est, quæ nostra coram DEO ad vitam æternam justitia existit, *quæ sola, ut Dannh. Hodosoph. 910. eruditè profert, merito perfectissima, infinito valore preciosissima, statione in Justificationis foro dignissima.*

I X.

Explanatis hætenus, divinâ adfulgente gratiâ, *Causis Justificationis, Principali & Meritoriâ*; de adplicationis adprehensionisque modo & medio, i. e. ut communicat ista bona infidelibus DEUS, & illi bonorum participes fiunt, ordine agendum. Solet autem pro respectu, & exhibentis & accipientis beneficia ista, hoc ipsum sub uno *Causæ Organicæ* titulo ab Eruditis exponi, ita ut, ex parte DEI, sint *Verbum & Sacramenta*, vel pressius, *vox Evangelii & Sacramenta*, pro ut dispensantur administranturque, eò quod

quod *δοξὸν* ejusmodi intelligi nequeat, nisi in usu legitimo divinitus constituto & ordinato, Luc. 24, 47. Act. 13, 38. Rom. 10, 17. 2. Cor. 5, 18. Ast ratione peccatoris *justificandi*, qui, ut alii volunt, *Causa Justificationis Materialis* dicitur, est SOLA *Fides*, cujus in eo versatur natura, ut præter notitiam atque ad sensum, fiduciam etiam dicat: namque novit Fides primò Evangelii promissionem, ac veritatem illius agnoscit, deinde eandem bonitatis suæ causâ adprehendit, postea in laudatâ illâ promissione sibi certò profuturâ fiducialiter recumbit, vid. Coll. Theol. Doct. Jo. Ad. Osiander. p. 158. & seq. Hinc illa D. Menz. sententia Disp. V. de Justific. p. 224. Fidem esse *Gratiæ DEI, per Christum redemptorem, in promissione Evangelii, fiducialem adprehensionem*. Immota ergo semper consistat hæc Paulinæ exhortationis regula: *Fide accedamus cum fiduciâ ad Thronum gratiæ, ut accipiamus, λάβωμεν, misericordiam*, Heb. 4, 16. Quid tandem de interpretatione Andra-

dradii, qui dicit Justificandi vim fidei in sacris literis ideo tribui, *quia animum ad accipiendum justitiam praparet*; unde *Causam Dispositivam*, ex §. vii. *Bellarmin.* vocavit; *pramuniat & prafulciat*, censendum, dextrè proponit *D. Chemn. Exam. Conc. Trid. P. I. p. 157. & seq. conf. Chamier. Panstr. Cathol. Epitom. p. 1178.*

X.

Nunc ad actus illius descriptionem, cujus acerrima est controversia, manus se accingunt, nempe quid sit illud, quo potissimum, ceu *formali* quodam, in DEI conspectu justii constituimur. Vel, ut *D. Chemnitius*, L. T. P. II. p. 295. inquit: *quid illud sit, quo habito, certi sumus nos justos esse coram DEO ad vitam aeternam?*

Antea multis memoravimus, nostram in judicio DEI justitiam nequaquam esse virtutem in nobis inhærentem, vel ex toto, vel quâ partem, sed fecisse DEUM translationem, & loco nostrorum operum posuisse ad justitiam

Chri-

Christum, qui nihil non eorum effecit, per quæ homo victurus erat; heic igitur *Forma* quædam *Justificationis* petenda. Hanc & in *genere* & *speciatim*, prout recensent auctores, *exprimere* animo sedet. *Formæ* istius quod vocant *genericum*, mutatione quâdam peccatoris explicari ajunt; ast actus iste non *Physicus*, qui sanctificationi quodammodo accommodatior, sed *Moralis* censendus est, illius instar, quo accusatus solvitur à crimine, seu cum alter alteri antea offensior cum ipso in gratiam, redit. Sic Apostolus, Col. 1, 13. *Eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filii sui dilecti.* Notentur voces, *ῥύσις* & *μετίσσυσις*. Conf. 1. Joh. 3, 14. Sunt verò *Justificationis* istiusmodi præcipuæ adfectiones, quòd sit I. *Una*, non si in actus, exercitia ac rationem penitentia, quæ subinde repetenda, inspicias, verum propter *unitatem causarum perpetuam*, propter *formam* & *modum*. II. *Indivisibilis*; *Justificatio* enim quæ talis, extra

omnes vel adcretionis vel decrementi
 posita est gradus, in tantum quidem,
 ut, quos DEUS adficit hoc beneficio, ex
 parte gratiâ justificâ emineant, ex parte
 etiam destituantur. Meretur certè, si
 usquam, adhunc L. legi expositio *D. Ægid.*
 „ *Hunn.* ad Rom. 4. In Justificatione
 „ non considerantur opera, virtutes &
 „ dona in nobis, ut auctis vel diminutis
 „ iis, ipsa quoque Justificatio vel magis
 „ vel minus recipiat; sed spectatur in
 „ eâ reconciliati DEI Gratia, omnem
 „ hujusmodi inæqualitatem respuens.
 „ Spectatur Meritum Christi, quod in-
 „ finitum cum sit, in justificatione to-
 „ tum adprehendatur, similiter nec ma-
 „ gis recipit, nec minus. Spectatur Fides,
 „ quæ licet in se considerata magis mi-
 „ nusque recipiat: tamen quia non suæ
 „ vel firmitatis vel infirmitatis confi-
 „ deratione ingreditur justificationem,
 „ sed solius correlati sui respectu, quod
 „ æquabile semper manet, iccirco rati-
 „ one justificæ potentiæ, nulla est inter
 fir-

firmam & infirmam fidem differen-
tia. Unde palàm fit, nec justificatio-
nem aliquando intendi, aliquando re-
mitti &c.

X I.

Sequitur tandem consideratio *Formæ*
speciatim ita dictæ, *quæ dat esse rei & rem*
in esse conservat. Quoniam autem *Justi-*
ficationis, de quâ loquimur, natura duo
requirit: pronunciat enim Judex senten-
tiam absolutoriam, primò per *non impu-*
tationem peccatorum, deinde *justitiæ alienæ*
imputatione; Hinc ex dictamine S. litera-
rum, & magnorum Theologorum con-
sensu, *formalis nostra coram DEO iustitiæ*
ad vitam æternam constituitur, *remissio pec-*
catorum & imputatio justitiæ Christi; ubi ta-
men omnino tenendum, ista à se invicem
minimè differre *realiter*, nec alterum ab
altero separari posse. Agnoscimus sanè
h. l. eruditam *D. Enev. Sven. à ne Geiar:* „
Formalis causa justificationis nostræ, „
si totam rei naturam respicias, est re- „
missio peccatorum, & acceptatio in „

„ gratiam ad vitam æternam, propter
 „ meritum Christi fide apprehensum.
 „ Rom. 3, 25. Sin causam hujus naturæ
 „ adtendas, est ipsa gratuita imputatio
 „ meriti Christi, per solam fidem adpre-
 „ hensi. Rom. 3, 24. c. 4, 5. seqq. tam arcto
 „ autem vinculo connexa sunt, Gratia,
 „ Meritum Christi & Fides, ut uno no-
 „ minato, reliqua neutiquam excludi,
 „ sed simul comprehendi necesse sit.
 „ Synops. Theol. 127. §. 16. Cum autem
 Pontificii, circa interpretationem vo-
 cabuli *imputare*, quam tamen nullâ
 refutatione verâ amoliri possunt, ve-
 hementer contendant; genuinam, o-
 stensâ prius Hæreticorum depravati-
 one, significationem subjungemus. In-
 epta planè & ridicula fuit cujusdam,
 in certamine Osiandrico ita philoso-
 phantis, Grammaticatis: *Verbum putare*
cum compositis hortense; sicut igitur amputare
significat per putationem aliquid auferre; ita
imputare justitiam esse inserere, implantare
& infundere homini novas qualitates. An-
dra

dradius suæ virtuti haud parùm fidens,
 & quod magis est, *Concilii* auctoritate
subnixus, audacter adserit: *imputari ju-*
sticiam nihil significare aliud, quàm infundi
qualitatem justitiæ: satis pro imperio,
 quo tamen rectius ad belluas mansve-
 faciendas, quàm ad evertendos veritatis
 defensores uteretur. Verùm quia post
 Homerum *Iliada* pangere ingratum
 foret opus, negocium hoc, prælucente
D. Danhav. Hodoloph. p. 911. ita illustro:
 Non est aliud, *inquit*, vividius exem-
 plum imputationis justitiæ, totiusq;
 adeo Justificationis, quàm illud *Onesimi*
Epistolâ ad Philemon. tractatum. Ubi
 in ἀποδόσει *Onesimus* noxæ reus est;
Philemon Herus Cœlestis, cui injuria
 facta: *Paulus* Christus satisfacere pro
 reo promptus, ex imis visceribus mi-
 seratus, fore, ut, si herus implacabilis
 esset, in sua viscera sæviret: sibi vult
 imputari delictum, non servo in fra-
 ternitatem à se recepto, in confor-
 tium Heri recipiendo, in alium à se fa-
 cto ac novum hominem induto.

XII.

Ut memoriam rerum præclare gestarum par sequeretur gloria, nunquam non bonis inter præcipua fuit vota, quo tamen sæpius excidisse excellentissimos Heroas, indicant Annales & acta temporum: absit hoc longius, Bonitatis Divinæ industria encomia aliquando ut cessent apud Evangelici Orbis incolas, quin potius ducant id religiosæ mentes sui semper esse officii, in honorem æterni Numinis purissima indies ut repetant labiorum suorum sacrificia. altius quiddam mente volvo. Longum est DEI nostri beneficia enumerare; tantum contemplabimur Finem, quem in miserrimorum mortalium justificatione respexit, quo nomine illud veniat, propter quod credentibus concesserit delictorum veniam. Pandunt viam Apostoli pronuntiata: DEUM mundum sibi in Christo reconciliasse, εις εἰδεξιῶν, in manifestatio-

nem justitiæ suæ, Rom, 3, 25. *Ut laudetur gloria gratiæ suæ*, Eph. 1, 3. Perfectum est igitur hoc DEI negotium in laudem Misericordiæ & Justitiæ ejus. Est *Misericors*, quia satisfactionis Christi incomparabili munere nos adfecit, nec aliam præter hujus nobis imputat justitiam. *Justus* audit, quod absque interveniente exactissimo *λύτρω* nullam omnino indulserit peccatorum remissionem, ob solam Redemptoris Justitiam justos nos pronuntiavit. Justitiæ autem ac Misericordiæ hoc temperamentum *Socinianis* quia tantopere displicet, satisfactionem Christi, atque adeo Justificationem propter imputatam Christi justitiam, pro virili afflictorum cordibus eximere laborant. *Finis*, ut breviter agam, respectu nostri, est justificarum, in foro poli scilicet, æterna salus; quoad *in viâ* versamur, pax & tranquillitas conscientiæ; qui tamen *Finis* plures alios com-

complectitur. Vid. Theologg. Scherz. Syst. 454. imprimis D. Chemnit. De Justificatione p. 296, 297. Quem ut heic inspiciat Lector Candidus, officiosè & quâ par est modestiâ rogamus.

ברוך יהוה לעולם אמן
ואמן :

